Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26113
Copyright: Admont, Benediktinerstift

35

Ad imaginem quippe dei factus est homo. Vos autem crescite et multiplicamini et ingredimini super terram et implete eam. Hec quoque dixit deus ad noe et ad filios eius cum eo. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum et cum semine vestro post vos. et ad omnem animam viventem que est vobiscum tam in volucribus quam in iumentis et pecudibus terre cunctisque que egressa sunt de archa et universis bestiis terre statuam pactum meum vobiscum et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii. neque erit deinceps diluvium dissipans terram. Dixitque deus. Hoc signum federis quod do inter me et vos et omnem animam viventem que est vobiscum in generationes sempiternas

Ecce ego etc. Testamentum posuit deus inter se et homines et omnem animam vivam. ne perderet eam diluvio. arcum scilicet qui apparet in nubibus. qui numquam nisi de sole resplendet. Illi vero non pereunt diluvio separati ab ecclesia. qui in prophetis et in omnibus divinis scripturis tamquam in dei nubibus agnoscunt gloriam christi non suam querunt sed ne adoratores huius solis intumescant. [sciant] ita christum significari per solem. sicut per leonem. per agnum. per lapidem. similitudinis causa. non appretiatis
s u b st a n ti a.